
INSIGNIA ACADEMIAE HARVARDIANAE CANTAB: NOV: ANGLIAE
VE RI
TAS
The Gift of
Mary Bryant Brandegee
in Memory of
William Fletcher Weld
HARVARD COLLEGE LIBRARY

902

Viro
Doct.ssimo Humanissimo Re
clarissimo
Fr. Haasio
Doctori et Professori

Henricus Theodorus Dietricus
cogn. B. Fabricius

LECTIONES SCYMNIANAE,

QVAS

VIRO HUMANISSIMO,

DOCTISSIMO, SUAVISSIMO,

CAROLO JUSTO BLOCHMANNO,

PHIL. DR. ART. LIB. MAG. PROFESS. ET

DIRECT. INST. BLOCH. ET GYMN. VITZTHUMIANI,

DIEI NATALIS MEMORIAM

CELEBRANTI,

PIO ANIMO OFFERT

B. FABRICIUS.

= Dittrich, Heinrich Theodor

XII KAL. MARTII MDCCCXLIV.

DRESDAE,

TYPIS B. G. TEUBNERI.

Jane! ILLI sic saepe, precor, tua sacra recurrant!
Sic tibi fumabit thuricremusqve focus.
Sic TIBI contingant dulcissima tempora vitae,
Sit TIBI mens eadem, sit TIBI laeta domus!
Sic veniat, Veneranda! TIBI jucunda senectus,
Nestorioqve seni venerit atra dies!

Anno hujus saeculi tricesimo nono et proxime seqventi Geographicorum Scymni Chii editionem, qvam inde ab anno tricesimo tertio et subsecivis qvidem horis parare institueram, ad finem perduxi et biennio fere post in philologorum diariis Darmstadinis professus sum, me proximo tempore editionem illam eamqve majorem sive ampliorem typothetae traditurum esse. Sed iniqvitas temporum me adhuc impedivit, qvominus promissis starem. Qvum tamen qvidam ex familiaribus etiam atqve etiam litteris ad me datis repugnantem admonerent, ut verba saltem Graeca ex emendatione mea descripta ederem, jam illis morem geram et haud ita longo tempore post Scymni Periegesis in publicum prodibit. Qvae Scymni editio qvod omni annotatione ampliore destituta erit, et plurimi tamen inveniuntur loci, in qvibus, nullis adjectis scholiis, scribendi emendandiqve ratio haud facile apparet, hoc die mihi aliisqve et imprimis TIBI, BLOCHMANNE! festo lubenter ita usus sum, ut qvaedam ex iis, qvae in Scymni Chii verbis, ut vulgo edita sunt, mutavi, eligerem ejusqve mutationis breviter redderem rationem, qvam qvicunqve legant benevolo animo ut dijudicent et obsecro et spero. Una etiam est res, de qva omnes praemonitos vellem, me, qvi post Letronnium, virum clarissimum, Scymni Periegesin editurus sim, eam ob caussam omnia, qvae vir ille doctissimus recte et acute emendaverit, hoc loco praetermisisse silentio, ne acta agerem aliisqve laudem eripere viderer.

Versu 22 codex Parisinus habet συνέταξε τὰ ἀπό, apographon Casauboni, codex Palatinus, Höschelius et Morellus συνέταξε τὰ περί, et horum duo posteriores in margine ἀπό loco περί notant. Vindingius recepit συνέταξε τ᾽ ἀπό eumqve Hudsonus, Gailius, Alexandrides et (in verbis Graecis) Letronnius seqvuti sunt. Sed ante me jam Letron-

nius illud τ' sive τά prorsus inutile immo vitiosum et apertum librarii codicis Parisini errorem esse et vidit et publice professus est; mediam autem verbi συντάττειν formam longe usitatiorem esse eo sensu, qvem hic reqvirimus, forma activa. Qvare miror, virum doctissimum de recipienda emendatione certissima: συντετάξατ' ἀπὸ τῆς Τρωϊκῆς κ. τ. λ. dubitasse.

Vs. 44. In cod. Paris. et Palat. legitur: ἱστορία καὶ λέξις (nam λέξεις in textu Höscheli error typothetarum est, qvem ipse in scholiis pag. 190 emendavit) ἔμμετρος, qvod Höschelius et Morellus retinuerunt, qvorum hic interpretatur: „Res qvando concinnusqve sermo nectitur.“ Vindingius vero, qvi post Morellum Scymni Periegesin edidit, scripsit ἱστορίαν λέξις ἔμμετρος, interpretatus: „Qvando historiam oratio modis ligata contexat.“ Idem, teste Hudsono, apographon Casauboni tuetur, itaqve Hudsonus, Alexandrides et Gailius receperunt. Ἱστορίαν etiam Graevius in margine exemplaris Höschelianae editionis, qvod Heidelbergae servatur, emendavit. At numeros in hoc versu non esse integros recentissimis temporibus jam Krebsius in Lectionibus Diodoreis pag. 166 animadvertit et ὅταν ἱστορίαν καὶ λέξις ἔμμετρος πλέκῃ scribi voluit. In eandem emendandi viam, ut videtur, proprio Marte (nam de Krebsio tacet) Letronnius delatus est, qvi eam scripturam in verba Graeca recepit et in Latinis interpretatus est: „Qvando historiam oratio etiam numeris ligata contexat.“ Sed in hac qvoqve emendatione et Krebsi et Letronni unumqvemqve haud dubie offendet particula καί, cujus origo facilis explicatu. Tenendum est enim in dijudicanda hujus loci scriptura, versus in codicibus pedestri oratione scriptos esse et voce ἱστορία recepta facillime adjici potuisse voculam καί, qvae simul alium errorem peperit. Numeri autem ut recti boniqve sint et sensus sanus, scribendum est: ὅταν ἱστορίαν (qvem casum πλέκῃ necessario flagitat) ἡ λέξις ἐμμέτρως (ο̄ et ω̄ saepissime commutantur) πλέκῃ. Hanc emendationem, qvam cuiqve diligens hujus loci tractatio commendabit, qvum dudum reponendam censerem, valde gavisus sum, Letronnium in annotationibus saltem ejus mentionem fecisse.

Vs. 63. Haud dubie ex typothetarum errore in Letronni editione conspicitur ἀναδέδειχας, codex enim Parisinus et omnes editiones ἀναδέδειχας habent. Similis error procul dubio oculorum aciem vs. 177 fugit, ubi τέτταρ' pro τέσσαρ' (qvae est lectio in Letronni editione) scribendum esse ex multis aliis Scymni locis satis apparet.

Vs. 153. Ut supra (vs. 152) in codice Palatino deest particula *μέν* post vocem *μεγέθει* (qvam tamen Parisinus habet, ut nuper Millerus vidit, ita ut errore librarii in Palatino omissa et conjectura ab Höschelio aut Scaligero recte addita sit), ita hic vel in Parisino particula *δέ*, qvae prorsus necessaria est, omittitur. Priores editores omnes eam neglexere nec qvicqvam deesse intellexerunt. Viderat autem hoc vitium ante me jam Krebsius, qvi in Lectt. Diodor. pag. 166 scribendum esse censet: *βοῶν δ' ἀγέλας,* qvam emendandi rationem solam tenendam censui, rejecta altera, ex qva *δέ* post *ἀγέλας* demum collocatur, qvod Letronnio in editione sua placuit. Hanc alteram emendationem Krebsius qvoqve memoraverat, ut contra Letronnius priorem illam, qvam modo calculo meo probavi.

Vs. 189. Omnes editiones et haud dubie etiam codex Palatinus et apographon Casauboni (nulla enim lectionis varietas nec ab Höschelio nec ab Hudsono notatur) habent: *ἄκραν.* Qvum tamen in codice Parisino *ἄδραν* (sic) scriptum esset, Letronnius *ἁδράν* aut *ἁδρόν* scribi maluit, ut *ἁδρὸν γελάσαι* dicitur. Verbum enim *ἀνατείνειν εἰς* hoc sensu plerumqve intransitive occurrere, ita ut *σφόδρα* sive *μάλα* sive tale qvid additum exspectes. Locos qvidem desiderari, addit Letronnius, in qvibus *ἁδράν* hoc modo legatur, sed analogiam adverbii *μακράν* emendationem suam satis fulcire; Scymnum enim, qvum ei opus esset adverbio, qvod bisyllabum et vocali inciperet, pro *μάλα, σφόδρα, μέγα* sive *μακράν* dixisse h. l. *ἁδράν.* At ingenue fateor, haec ingeniose qvidem excogitata esse, sed non satis firmata, imprimis si meminerimus, saepius vel codicem optimum (Parisinum) pravis scripturis a librario inqvinatum esse. Verissima igitur mihi videtur et certissima emendatio illa, cujuscunqve est, *ἄκραν,* qvam Letronnius ipse qvoqve (in addendis pag. 447) alteri illi (*ἁδράν*) praeferendam esse monet et in Latina interpretatione adeo seqvitur, licet apud eum in Graecis (haud dubie errore qvodam) *ἄδραν* (sic) editum sit.

Vs. 223. Codices, Höschelius et Morellus habent: *νῆσον*, qvod Vindingius in *νῆσος* mutavit, eumqve Hudsonus, Alexandrides, Gailius et, qvod miror, Letronnius seqvuti sunt. Attamen Scymnus accusativo casu (*νῆσον*) h. l. recte uti potuit, ut jam doctissimus Millerus vidit, qvi in supplemento Geograph. pag. 298 verissime scribit: „Bonne leçon qv'on doit adopter. Les éditeurs ont tort de rapporter ce mot à *Σαρδώ*, du vers précédent, parce qve cette île *Σαρδώ* est

implicitement comprise dans νῆσοι πελάγιαι svivi de Κύρνος τε καὶ Σαρδώ. Il faut donc lire et ponctuer: Ἐν τῷ πόρῳ κεῖνται δὲ νῆσοι πελάγιαι, || Κύρνος τε καὶ Σαρδώ, μεγίστη λεγομένη, || μετὰ τὴν Σικελίαν νῆσον.

Vs. 226. Post hunc versum lacunae signa collocanda sunt, qvod Letronnius non fecit, faciendum ne sensit qvidem, nullibi certe indicavit. Consentit qvidem de Latino, Circes filio, cum Scymno Hesiodus (Theog. 1011 sq., unde scholiasta Apoll. Rhodii ad lib. III, 200 sua hausit), sed qvi fieri potuit, ut Latinus Ombricis nomen suum traderet sive tribueret eosqve qvasi procrearet? Ex Graecorum enim originem populorum gentiumqve explicandi ratione qvamvis mala et ridicula, qvam teste Grotefendo (in libello: Zur Geographie und Geschichte Alt-Italiens, part. I, p. 23) Hellanicus primus iniit, — ex illa inqvam ratione seqvitur, Umbrum sive Ombronem gentis Ombricae sive Umbricae auctorem esse nec Latinum, qvi recte Latinae gentis auctor dici potuit. Qvibus alia accedunt haud contemnenda. Nam Scymnus, qvi hoc loco Italiae gentes enumerat, infra versu 235: μετὰ δὲ Λατίνους scribit, sed antea eos non nominaverat; qvid? qvod Romam ipsam ἐν τῇ Λατίνῃ sitam esse versu 233 rectissime monet. Qvare unum aut duos versus, in qvibus Ombricos (Umbros) ab Ombro (Ombrone), Latinos autem a Latino gentis originem duxisse exposuerat, ante versum 227 excidisse verisimillimum. Idem Cluverio (Ital. Antiq. II, 4, p. 595 sq.) in mentem venisse serius vidi.

Vs. 300. In codicibus et omnibus editionibus legimus: μιγάδας τε πρότερον. Sed τὲ nullo modo hic scribi potuit et miror neminem hoc vidisse praeter Krebsium in Lectt. Diodoreis pag. 206, qvi rectissime τὸ πρότερον emendavit, qva dicendi ratione Scymnus saepissime utitur.

Vs. 364. Letronnius qvod in omnibus est editionibus πέρας haud bene retinuit, qvum codex Parisinus πέραν haberet, qvae vox sola hic scribi potuit.

Vs. 365. Codex Parisinus hunc versum sic exhibet: Μεσσαγίων δ' οἰκοῦσιν Ὀμβρικοί. Primam vocem, aperte falsam, jam codicis Palatini scriba recte in μεσαίτατον mutavit. Sed praeterea huic versui duae syllabae desunt, qvod jam Höschelius animadverterat, qvi ea de caussa asteriscum apposuit, in margine Scaligeri λεώ adjiciens, qvod reliqvi editores calculo suo probaverunt. Salmasio autem (Exercitat. Plin. p. 49) πέδον, Boissonadio (ad Psellum pag. 236) τόπον

placuit, et Boissonadium Letronnius seqvutus est. Sed nec λεώ nec πέδον necessarium esse facile apparebit, ubi diligentius praecedentia considerata fuerint, immo aliud, πάλιν inqvam; nam Scymnus jam supra vs. 225 Ombricorum (Umbrorum) mentionem fecerat et nunc ad eos paucis redit. Nuper (qvum haec mea dudum perscripta essent) idem bene sensit Grotefendus, in libro egregio de Italiae geographia et historia antiqva (part. I, p. 52), qvi duas proponit emendationes, qvarum altera meam ea de caussa firmare videtur, qvod, etiamsi nec Grotefendus meam emendationem cognitam habuerit nec ego Grotefendi, uterqve tamen sponte in eam pervenimus. Krebsi autem emendatio, in Lectt. Diodoreis pag. 167 proposita, mihi a vero aberrare visa est.

Vs. 394. Scripsi: κ᾽ Ἠριδανός, ut sententiarum nexus existat, vulgo enim κ᾽ (καί) omittitur; possis etiam: Ἠριδανὸς δ᾽, ὅς κ. τ. λ. scribere. Ponit igitur Scymnus mira sane ratione Eridanum in regione Ismenorum et Mentorum post Henetos et Istros. Attamen nihil mutandum et omnino id tenendum est, priscos Graecorum scriptores (qvos fere Scymnus seqvitur) variis in locis Eridanum (qvo nomine Padus fluvius significatur, qvicqvid contra alii dicunt) collocasse, neminem vero suo loco. Qvum e scriptura vulgata Eridani mentio cum praecedentibus cohaerere non videretur, Klausenius ad Hecataei fragmenta (pag. 59 sqq.) hoc ex librariorum errore repetendum et hanc descriptionem a versu 394 usqve ad vs. 400 supra post Umbrorum et maris Adriatici mentionem (vs. 365—373) transponendam esse censuit. Sed nihil mutavi; nam qvod Scymnus in hac regione Eridanum posuit, non urgendum est, ut jam supra indicavi; aut Theopompus, qvem Scymnus seqvitur, erravit, aut, qvod magis placet, Scymnus Theopompi verba negligentius tractavit. Una restat ratio, qva hanc rem explicemus, librariorum culpa qvaedam ante versum 394 excidisse, id qvod multi erunt qvi probent, imprimis qvum jam supra post versum 226 lacunam detexerim. Atqve hoc qvidem nec Klausenium fugiebat, qvi l. d. pag. 61: „Qvum Eridani, inqvit, mentio, ubicunqve collocetur, abrupte incipiat neqve cum iis, qvae antecedunt, grammatice conjuncta sit, probabile est excidisse, qvo dictum sit, effundi Eridanum in mare Adriaticum, fortasse etiam, effundi eum prope insulas Electridas, qvas ostiis ejus vicinas esse narrabant Graeci.“

Vs. 437. Cum Valckenario ad Euripidis Phoeniss. vs. 1576 et Osanno in diariis Hallensibus anni 1830 pag. 211 scribere malui: ἐπῆρξε pro ὑπῆρξε, qvod in codicibus et omnibus editionibus legitur,

qvamvis auctore Passovio ὑπάρχειν τινὸς ita, ut imperare alicui significet, qvibusdam locis occurrere scirem. Sed qvum hos locos, qvorum nullum hucusqve vidisse memini, rarissimos putarem, vulgatam scripturam ὑπῆρξε e Graecis verbis ejiciendam curavi.

Vs. 517. Pro eo, qvod vulgo scriptum est: οἰκήσαντες, οἰκίσαντες scripsi; non enim qvaeritur, qvi olim Corinthum habitarint (nam posteris qvoqve temporibus Corinthus incolas habuit), sed qvi eam urbem priscis temporibus condiderint. Soli Gailio illud οἰκίσαντες in mentem venit, ut ex ejus annotationibus apparet.

Vs. 523. Ex Scymni scribendi ratione hoc loco codicum et editionum μεσογείᾳ in μεσογείῳ mutandum erat, cf. vs. 450, 496, 623, 630.

Vs. 530. Strabonem aliosqve scriptores seqvutus Προκλῇ dedi, qvum in omnibus editionibus Πρόκλην esset. Similiter in proxime seqventi versu ex optimis Strabonis et Pausaniae codicibus et virorum doctorum sententia Κισσόν pro Κρίσων codicis Parisini, Κρίσσην Höscheli et Morelli et Κίσσον Vindingi, Hudsoni, Alexandridis, Gaili et Letronni scripsi. Qvibus locis alios adjiciam propter similem emendandi rationem. Versu enim 575 Κόθον pro Κόθων, vs. 592 Ἐρινεόν pro Ἐρίνεον, vs. 594 ᾤκισεν pro ᾤκισε, vs. 599 Πυλαία (adjectivum, ad παράλιος referendum) pro Πύλαια et vs. 621 Ἄξιον pro vulgato Ἀξιόν scripsi, qvarum mutationum caussas his etiam temporibus referre haud necessarium censui. Sed redeo ad superiora (vs. 523), ubi praeterea δέ pro vulgato τέ ante Κισσόν scribendum erat, qvod et praecedentia et seqventia verba satis clare postulant; omnes interpretes id male intactum reliqverunt.

Vs. 532. Codex Paris. et Palat. Ἀγανόν habent, apographon Casauboni Ἀγαυόν, in omnibus autem editionibus est illud Ἀγανόν. Attamen Pausanias (lib. II, c. 19) filium Deiphontis non Aganum sed Argeium vocat. Scriptum qvidem est hoc nomen etiam Ἀγρεῖος et Ἀγραῖος, sed in libris manuscriptis γρ et ργ saepius invicem commutata esse scimus; et urbis ejusdem nominis mentio uniciqve haud dubie scripturam meam: Ἀργεῖον commendabit. In Strabonis editionibus (lib. VIII, c. 8, §. 5, pag. 389 Cas.) Αἰγαῖος et in epitome Straboniana Αἰγεός scriptum est, sed in Strabonis et Scymni verbis Ἀργεῖον scribendum esse jam Groskurdius (T. II, p. 115 sq.) intellexit. Aliorum autem virorum doctorum tentamina hic enumerare nolui.

Vs. 556. Male in codicibus et editionibus omnibus legimus: Σαλαμίν, qvae forma neqve Ephoro (unde haec Scymni verba hausta

sunt) neqve Scymno convenit. Neminem igitur Σαλαμίς scripsisse, valde miror.

Vs. 569. Propter metrum numerosqve Εὐβοίας scripsi simulqve post ἔπειτεν et Ἀσωπίδος commata posui, hoc sensu: „Qvum initio haec insula Macris diceretur, postea aliud nomen idqve Euboeae ab Euboea, Asopi filia (ab Asopide), accepit.“ Particula πάλιν autem plerumqve qvidem: iterum, denuo significat, sed hoc loco nihil nisi aliud nomen, qvod insula accepit, innuit, qvare nemo eam, si abesset, desideraret. Codices vero et editiones omnes, praeter Letronni, post τοὔνομα et Εὔβοια commata habent et Εὔβοια praebent; sed ultima vocis Εὔβοια syllaba brevis est, ita ut metro repugnet. Qvod qvum Letronnius qvoqve intelligeret, varia tentavit; primo Εὐβοίας πάλιν, sed ita ut Nymphae, Asopi filiae, nomen ipsum esset, a qva teste Eustathio (ad Hom. Iliad. lib. II, pag. 278, 30, coll. Didymo ad Hom. Odyss. β', 535 in Bekk. schol. ad Hom. Odyss. T. I, p. 83, b, 8 sqq.) insula nomen accepit; qvare verborum structuram hanc habemus: τῆς λεγομένης Ἀσωπίδος — Εὐβοίας. Sed cur ita verba conjungamus, qvum longe facilius et rectius Εὐβοίας ad τοὔνομα referatur, qvam dicendi scribendiqve rationem nemo non Scymno dignam dicat. Altera Letronni emendatio ea est, ut Εὔβοια πάλιν versui proxime praecedenti tribuatur, hoc modo: Ἔπειτεν Εὔβοια πάλιν, ἀπὸ τῆς λεγομένης Ἀσωπίδος χρόνῳ λαβοῦσα τοὔνομα, qvae emendatio mihi ita arrisit, ut eam libenter recepissem, modo ne nimis a codicum scriptura recederet. Tertia deniqve Letronni emendatio, qvam in Graeca verba recepit, in mutatione vocis Εὔβοια in Εὔβοιαν versatur; appositionis enim locum tenere vocem Εὔβοιαν ad τοὔνομα. In Latinis Letronnius Graeca sic interpretatus est: Deinde a dicta Asopide successu temporis nacta nomen Euboea.

Vs. 581. Codices, Höschelius et Morellus Ἴκον habent, qvam vocem Vindingius primus in Ἴον mutavit; hunc autem omnes editores (nuperrime Letronnius qvoqve) seqvuti sunt. Sed de Io insula h. l. prorsus non cogitandum est, qvia Scymnus de ea vix dicere potuit, esse eam ἐγγὺς κειμένην (Πεπαρήθου), qvae qvidem verba cum Ico optime conjungi possunt. Testis praeterea accedit Strabo, qvi libro IX, c. 5, §. 16, pag. 436 Cas. Peparethum, Sciathum, Scyrum, Icum uno tenore enumerat. Ceterum Scymnus hoc loco non de illa maris Aegaei parte, in qva Ios sita est, sed de ea agit, qvae in Euboeam et

orientalem qvidem ejus oram spectat. Nostram sententiam etiam Krebsius in Lect. Diod. pag. 153 confirmat.

Vs. 595. Scripsi ἄποικοι, qvod est in codicibus et editionibus omnibus excepta Letronni, qvi ἔποικοι edidit, qvod incolae nec coloni intelligendi essent; sed in Latinis interpretatur: coloni. At hoc loco non id qvaeritur, fuerintne Dores illius regionis incolae, immo hanc (Doridem) esse terram, ex qva omnes Dores originem traxerint. Qvare Letronnius in Latinis rectissime colonos interpretatus est. Cfr. Herodot. VIII, 31 et Thucyd. III, 92.

Vs. 682. In codicibus et editionibus legitur: Ἠλέκτρας τεκούσης Δάρδανον || τῆς λεγομένης Ἄτλαντος Ἰασίωνά τε. Qvis autem contendat, τῆς λεγομένης Ἄτλαντος recte scriptum esse? intelligitur enim Atlantis filia. Jam locus simillimus, vs. 568, legentium animos advertere debebat, hic scribendum esse: τῆς λεγομένης Ἀτλαντίδος, ut supra (l. d.) Ἀσωπίδος. Primus hanc emendationem verissimam publice proposuit Krebsius in Lectt. Diod. pag. 153, qvi ibidem etiam alius loci emendationem mihi praeripuit. Versu enim 690 in codicibus et editionibus legitur: Τοὺς δὲ Σαμόθρᾳκας, Τρῶας ὄντας τῷ γένει, || ἀπὸ τοῦ τόπου δὲ Τρῶας ἐπικαλουμένους, || δι' εὐσέβειαν ἐγκαταμεῖναι τῷ τόπῳ. Alterum idqve posterius Τρῶας, cujus originem e priore Τρῶας facile repetas, in Θρᾷκας mutandum erat. In superioribus enim Scymnus (qvi h. l. de Samothrace insula pluribus agit) dixerat, priscos hujus insulae incolas fuisse Trojanos, qvos inde in Asiam transduxerit Dardanus; jam refert, eos autem, qvi pietate ducti in insula remanserint, nomen non servasse (qvanqvam ii, qvi in Asiam transgressi essent, servaverint), sed a loco, i. e. a finitima Thracia, Thracum nomen accepisse.

Vs. 714. Codex Parisinus: ἐχομένως ἡ Σηλυμβρία, cujus scripturae vestigia eatenus seqvutus sum, qvatenus solum articulum (cujus originem e codicis habitu facile explices) removi. Jam doctissimus Millerus ἐχομένως bene huic loco convenire intellexit, et miror, Letronnium, alias diligentem codicis asseclam, hanc scripturam neglexisse, qvum in Graecis ἐχομένη ἡ Σηλυμβρία retineret. In addendis qvidem (pag. 450) sententiam paullulum mutavit; ibi enim: J'ai conservé, inqvit, la leçon du manuscrit ἐχομένη (sed codex Paris. ἐχομένως habet) ἡ Σηλ., pensant qve le poëte a pu vouloir foudre en une seule ces deux syllabes, comme l'a fait Aristophane Thesmoph. 536: εἰ δὲ μὴ ἡμεῖς. Rien ne m'était plus facile qve de lire ἐχο-

μένη Σηλυμβρία, l'article étant ici peu nécessaire." Graevius in margine exemplaris sui Höschelianae: ὁ' ἡ Σηλ. emendavit.

Vs. 741. Hic versus in codice Parisino, ex qvo et Palatinus et Casauboni libri manuscripti sunt hausti, ultimus est, qvum reliqua ejus codicis pars temporum iniqvitate perdita et posterior ultimi folii pagina tam male habita sit, ut ne unam qvidem vocem clare conspicere possent, qvi nuper codicem illum diligentius tractarunt. Sed qvi proximi qvinqve erant versus ut omnes reliqvi, qvos in fragmenta receptos vides in editionibus Hudsoni, Alexandridis et Gaili, hos nobis anonymus qvidam scriptor servavit. Habemus enim inter geographos qvos dicunt minores, excepto Arriani periplo, etiam duo fragmenta peripli, cujus auctorem hacusqve nemo cognovit. Male autem adhuc haec duo fragmenta diversis auctoribus tribuebantur; nam omnis scribendi ratio unum eundemqve fuisse, qvi haec scripserit, satis testantur. At qvisqvis hic fuit, hoc tamen jam inter omnes viros doctos constat, eum plurima e Scymni Chii Periegesi hausisse nec verba Scymni ipsa multum mutasse, ita ut jam Isaacus Vossius et Holstenius, qvi primi hanc fraudem detexerunt, facili opera fere omnes illos versus, qvos inter fragmenta receptos habemus, reperirent. Holstenium autem proximi horum fragmentorum editores diligenter seqvuti sunt, ita ut omnes versus ab illis viris detectos et compositos servarent et solum in singulis verbis emendandis versarentur. Singula igitur tractantes majora qvaedam neglexerunt, qvae vel novissimum editorem praeteriisse miror. Ea ipsa, anteqvam singula tractarem, explicatione digna habui. Multi enim et graves errores inde orti sunt, qvorum longe plurimos vel novissimus isqve doctissimus horum fragmentorum editor haud notavit aut notare noluit. Nam qvum Holstenius solutam Anonymi orationem numeris adstringeret, interdum versus aut qvaedam saltem verba, qvae non Scymni erant sed Anonymi aut alius scriptoris (pluribus enim in conscribendo periplo usus est Anonymus), Scymni iambis immiscuit; qvos locos jam breviter indicabo.

Post versum 752 (sive versum 5 Fragm.) excepta una Letronni editione in ceteris est versus: ἔπειτα δὲ μετωνομάσθη Ματιόπολις (sc. Κρουνοι), qvem Scymni non esse jam Is. Vossius optime intellexerat; verba enim sunt Anonymi illius, hic prorsus delenda. Delevit qvidem hunc versum Letronnius, sed male lacunae signa posuit, qvum h. l. omnino nihil deesset; immo his Anonymi verbis ejectis oratio recte procedit. Dionysiopolis enim priscis temporibus Krunoi voca-

batur, postea vero Dionysiopolis a statua Dionysi huc delata. — Vs. 758 et 759 (vs. 12 et 13 Frag.) delenda sunt verba: τοῦτο δὲ τὸ πολύχνιον et lacuna unius versus posita versus 759 ita scribendus: Ταύτην πόλιν φασίν τινες μὲν βαρβάρων, — dicendi ratio, qvam Scymno convenire vere dicas, qvum contra τοῦτο τὸ πολίχνιον Anonymo soli tribui possit, qvod ex aliis ejus scriptoris locis satis apparet. — Post versum 764 (vs. 18 Fragm.) lacunae signa posui, qvod ita, ut in vulgatis est, Scymnus nunqvam diversas urbes invicem conjungit; idem jam Holstenius sensisse videtur, si fides habenda est Ryckio, qvi versum 766 (vs. 19 Fragm.) una cum proxime seqventi a praecedentibus paullulum removit. — Versus 798 (Fragm. vs. 50): Οὗτοι δὲ Θρᾷκες Βαστράναι τ᾽ ἐπήλυδες — in integra Scymni Periegesi nullo modo, ut in editis, priora, in qvibus intervallum inter Achillis insulam et terram continentem ex Demetri sententia explicatur, potuit excipere. Sedes enim Thracum et Bastarnarum advenarum in terra continente ad ripas Istri septentrionales erant (cfr. Anonymi Peripl. §. 14 ex., pag. 10 Huds., pag. 221 Gail. et Strab. lib. 7, c. 3 §. 15, pag. 305 Cas.). Qvare ante versum 50 fragmentorum jam Holstenius et Hudsonus lacunam vere indicaverunt. Sed jam graviorem interpretum errorem reprehendere debemus, qvi loco proximo ea posuerunt, qvae Scymni narrationem prorsus evertunt. Nam versum, qvem modo descripsi, in editis omnibus excipit ille, qvem post versum 825 (sive vers. 125 fragm. edit. vulg.: τὸ τῶν Ἀγαθύρσων ἐπικαλούμενον γένος) collocandum esse mox declarabo: Τύρας (sive ὁ Τύρας) ‖ ποταμὸς βαθύς τ᾽ ὢν, εὔβοτος κ. τ. λ. Ex auctoritate Anonymi sola (Peripl. Pont. Euxin. §. 3, pag. 3 Huds., pag. 208 sqq. Gail.) omnes editores ipseqve doctissimus Letronnius post versum 798 (vs. 50 Fragment.) qvadraginta octo versus adjecerunt, qvi ex ratione mea post versum 825 (Fragm. 125) ponendi erant. Licet enim Anonymus, qvi aliorum verbis sua qvaliacunqve exornare solet, loco sibi ipsi iniqvissimo reiqve et rerum ordini alienissimo hos Scymni versus posuerit, tamen ex omni narratione luce clarius apparet, Scymnum eos minime illuc transtulisse, qvo loco ceteri interpretes posuerunt, sed qvo par erat, i. e. hoc ipso in loco collocasse. Anonymus, qvi iter ab oriente ad occidentem versus facit, ipsis verbis hujus loci primis et rerum narrandarum et doctrinae eruditionisqve rudem se probavit. Intellexit qvidem, in Scymno de Scythis, qvi a Borysthene ad Istrum usqve Europae regiones et oram qvidem Ponti Euxini tenebant, narrationem

contineri, qva peropportune jejunam, qvam de Ponti Euxini ora elaboraturus erat, descriptionem exornare posset; sed, qvod hoc tempore nostraqve ex ratione faustum felixqve praedicamus, ordinem a Scymno pro ratione periegesis suae institutum itineri suo accommodare neglexit. Qvo factum est, ut continuo a Maeotide ad Istri ostia saltu altissimo proriperemur et universam Scytharum oram, qvam, si Scymnum respicimus, jam peragravimus, denuo legeremus. Si qva ratione recta Scymni verbis uti voluit, tota Scymni narratio ipsi invertenda fuit; qvod qvum vires imbecillae sustinere non possent, rem omnem, ut Alexander nodum Gordium, dissolvit; recepit, qva ratione Scymnus dederat. Errores autem Anonymi nullo modo Scymno tribuendi sunt; qvare priscum eumqve verum narrationis ordinem restitui, et qvum antea legeretur:

> τετρακόσι', ὡς δὴ συγγράφει Δημήτριος.
> Οὗτοι δὲ Θρᾷκες Βαστράναι τ' ἐπήλυδες.
> . . . . ὁ Τύρας ποταμός
> βαθύς τε ὤν, εὐβότανός ἐστι ταῖς νομαῖς κ. τ. ἑ.

usqve ad hos versus:

> τοῦ Βοσπόρου βασίλειον ἐπωνομασμένον.
> Ἄνωθεν δὲ τούτων ἡ Σκυθικὴ βάρβαρος
> πρὸς τὴν ἀοίκητον συνορίζουσ' ἐστὶ γῆν, κ. τ. λ.

jam scribendum curavi:

> τετρακόσι', ὡς δὴ συγγράφει Δημήτριος.
> . . . .
> Οὗτοι δὲ Θρᾷκες Βαστράναι τ' ἐπήλυδες.
> Ἄνω δὲ τούτων ἡ Σκυθὶς γῆ βάρβαρος
> πρὸς τὴν ἀοίκητον συνορίζουσ' ἐστι γῆν
> καὶ πᾶσι τοῖς Ἕλλησιν ἀγνοουμένην — et qvi seqvuntur

versus viginti qvattuor, qvorum ultimus est:

> τὸ τῶν Ἀγαθύρσων ἐπικαλούμενον γένος.

Post hunc collocavi hos:

> . . . . Τύρας
> ποταμὸς βαθύς τ' ὢν εὔβοτός ἐστι ταῖς νομαῖς
> τῶν ἰχθύων et qvae deinceps leguntur in editis.

Videmus igitur, Scymnum, qvi, ut ex Strabone apparet, in Scytharum regione describenda Ephorum seqvutus est, post Istri ostia et Thracum Bastarnarumqve advenarum sedes (qvare τούτων — vs. 799 [Fragm. vs. 99] — i. e. Thracum Bastarnarumqve, bene se habet multoqve faciliorem explicationem qvam ex vulgata recipit) ex Ephoro Scytharum sedes delineare, qva re perfecta ad oram se convertens

pauca qvaedam de oppidis harum regionum Graecis exponit, donec ad ostium paludis Maeotidis pervenit. Notatu autem dignum est, nec Brandstäterum nec Lindnerum, qvi nuper de Scythia libros scripserunt, Ephori et Scymni mentionem fecisse. Atqvi plurima invenissent, qvibus ad Herodoti narrationem clarius explicandam uti potuissent. — Vs. 831 (Fragm. 56). Inter hunc et proximum versum: Ἐπὶ ταῖς δὲ καθ' Ὕπανιν κ. τ. λ. qvaedam desunt, qvae qvum Anonymus e Scymno non desumsisset, nobis qvidem perdita sunt. Rectissime igitur Holstenius et Hudsonus, qvos seqvutus sum, lacunae signa hoc in loco posuerunt. Similiter inter versus 848 et 850 (Fragm. 72 et 73, qvi in editis uno tenore se excipiunt) lacuna est, qvam ceteri interpretes neglexerunt. Nam e voce τούτοις (ἡ Ταυρικὴ δὲ Χεῤῥόνησος λεγομένη ‖ τούτοις συνάπτει, πόλιν ἔχουσ' Ἑλληνίδα), si qvidem eam a Scymno scriptam censes, satis apparere videtur, hos versus (850 sqq. sive vs. 73 sqq. fragmentorum) una serie proxime antecedentes (vs. 842—848, sive 66—72 fragment.) non excepisse, immo unum pluresve versus excidisse. Qvare haec verba: Ἡ Ταυρικὴ δὲ Χεῤῥόνησος κ. τ. λ. a prioribus paullulum secernenda curavi. Attamen fieri potuit, ut Anonymus, qvi pro sua ratione ab oriente ad occidentem versus iter facturus erat eamqve ob caussam Tauricorum in prioribus mentionem injecerat, Scymni vocem τούτῳ, h. e. Βορυσθένει, in τούτοις mutaret. Qvam qvi probant rationem, lacunae signis non indigent; recepta enim voce τούτῳ omnia apte procedunt. — Post vs. 855 (Fragm. 78) in editionibus omnibus leguntur hoc modo proximi versus:

. . . . ἀπὸ δὲ Λαμπάδων
εἰς τὸ Κριοῦ μέτωπον, ἀκρωτήριον
τῆς Ταυρικῆς, ὑψηλὸν ὄρος, ἔστι στάδια
εἴκοσι καὶ (Letr. ἐφ') ἑκατόν· ἐν ταύτῃ (Letr. δὲ τῇ) τῆς Ταυρικῆς
χώρᾳ τινὲς λέγουσιν ἀφίκεσθαί (Letr. ἀφικέσθαι) ποτὲ κ. τ. λ.

Sed qvi vel semel Anonymi Periplum diligentius perlegit, animadvertat necesse est, hunc scriptorem fraudulentum ex Arriano imprimis aliisqve loca singula sumsisse hisqve data occasione Scymni versus, sed numeris in orationem prosam dissolutis, immiscuisse. Jam ex Arriano et Anonymi verbis constat, Lampadem ad orientem versus a Criumetopo promontorio sitam fuisse. Recte igitur et Arrianus et Anonymus, qvi ab oriente ad occidentem versus in describendis Ponti Euxini litoribus procedunt, dixerunt: Ἀπὸ δὲ Λαμπάδος εἰς τὸ

Κριοῦ μέτωπον στάδια αχ', ut Anonymus §. 8, pag. 6 Huds., pag. 214 Gail., et Arrianus §. 19, pag. 20 Huds., pag. 76 Gail. habent. Qvi Scymno talem locorum enumerationem, et, qvod h. l. etiam observandum est, tam singularem et res vel levissimas respicientem tribuunt, vehementer errant; nam geographus noster et prorsus contrario et adverso illis (Arriano et Anonymo) itinere ab occidente ad orientem versus procedit et insigniora clarioraqve solum oppida et loca memorat. Omnem igitur verborum ordinem, qvalem in Holsteniana et reliqvorum recensione habemus, invertamus necesse est. Sed tali, inqvam, inversione, his turbis minime opus; ipsa enim Anonymi verba clare demonstrant, qvibus demum a verbis Scymni fragmentum initium habet, nimirum ab his: *ἐν ταύτῃ τῇ χώρᾳ*. Bene hoc intellexit Is. Vossius, qvi fragmenti hujus initium sic constituit: *ἐν Ταυρικῇ λέγουσιν ἀφικέσθαι κ. τ. λ.* Qvum tamen verba Anonymi: *ἐν ταύτῃ τῇ χώρᾳ (τῆς Ταυρικῆς)* etiam e Scymno repetita esse vix credendum sit simulqve vocem *χώρᾳ* in versus fine collocari non posse inter omnes constet, voce *χώρᾳ* ejecta et in ejus locum voce *τόπον* recepta versui 857 (Fragm. 82) haec tribui: , ... *τοῦτον εἰς τόπον*. Qvae enim vulgo hic leguntur: *ἐν ταύτῃ* sive *ἐν ταύτῃ τῇ χώρᾳ* sive *ἐν δὲ τῇ χώρᾳ*, et conjuncta qvidem cum *ἀφίκεσθαι*, qva ratione sana Graecis tribuantur, qvicunqve talia conantur, ipsi videant. — Vs. 863 (Fragm. vs. 88): *ἱλασκόμενοι τὰ θεῖα τοῖς ἀσεβήμασι* — in editis excipiunt septem versus, ex qvibus unum retinui, reliqvos autem foras ejeci; sunt enim Anonymi, nec Scymni nostri. Ex recensione Letronni, qvi nullum horum versuum spurium censuit, hi sunt:

Ἀπ' οὖν Ἀθηναιῶνος ἄχρι τῶν Κυτῶν
Σκύθαι κατοικοῦσι· μετὰ ταῦτα Βόσπορος
Κιμμέριός ἐστιν ἧτε Κιμμερὶς πόλις.
Ἐνταῦθα ναῦσιν ὅρμος τοῖς ἀφ' ἑσπέρας
ἐστὶν ἀνέμοις· ἐν τῇ θαλάττῃ δ' ἄντικρυς
νῆσοι πετρώδεις οὐ πάνυ μεγάλαι δύο
ὀλίγον ἀπ' ἠπείρου διέχουσαι. . . .

Recte qvidem talia commemorare potuerunt et Anonymus et Arrianus, qvi diligentissime vel obscuriora loca et res minoris momenti enumerant, sed nec Ephoro, qvem Scymnus maxime seqvitur, nec Scymno ejusmodi res vere tribui possunt, ut tota Scymni periegesis, qvam etiam manibus tenemus, demonstrat. Holstenius igitur (Isaacus enim Vossius haec verba Scymno non vindicavit) versus detexit, qvi omnino

nulli sunt. Attamen non omnia verba delenda censui, sed illa: „*μετὰ ταῦτα Βόσπορος* || *Κιμμέριός ἐστιν*“, ne nimis audax in delendis verbis sim, Scymno tribui et inverso ordine scripsi: *Κιμμέριός ἐστι μετὰ ταῦτα Βόσπορος*. Qvibus ex verbis Scymno vindicatis simul apparet, infra post vs. 876 (Fragm. 133) verba: *τὸ δὲ στόμα* (in Anonymo est *στόμιον*, qvae vox clare indicat, haec verba Anonymi non Scymni esse) *τῆς λίμνης καλεῖται Βόσπορος* — sive versum fragmentorum 134 tollendum esse, qvum Scymnus, brevitatis valde studiosus, nullo modo unam eandemqve rem bis commemoraret. In locum autem ejus versus, qvem modo delevi, inscriptionem: *Ἀσία,* qvam in editionibus post vers. 888 (fragment. vs. 147) habes, recepi. Ut hoc loco unum versum ejeci, sic infra verba: *εἴρηκεν, ὧν Μαιῶτις ἡ λίμνη ˘χεται,* qvae versui 883, fragm. 141, priores interpretes tribuerunt, delenda censui. In Anonymi enim Periplo, unde haec sumta sunt, legimus §. 1, pag. 2 Huds., p. 206 Gail., haec: *Εἶτα μετὰ τοὺς Σαρμάτας, Μαιωτῶν γένος Ιαζαματῶν λεγόμενον, ὡς Δημήτριος εἴρηκεν, ἐφ᾽ οἷς καὶ Μαιῶτις λίμνη λέγεται· ὡς δὲ Ἔφορος λέγει, Σαυροματῶν λέγεται ἔθνος.* Qvibus in verbis qvaedam Scymni inesse nemo negabit, qvi Scymni Periegesin et Anonymi Periplum vel parum cognita habuerit; sed plura addita et Scymni orationem male distractam esse clare apparet. Neglectis igitur iis, qvae priores interpretes ad restituenda Scymni verba contulerunt, solam Letronni recensionem memoro:

> *Εἶτα μετὰ Σαρμάτας τὸ Μαιωτῶν γένος,*
> *Ἰαξαματῶν λεγόμενον, ὡς Δημήτριος*
> *εἴρηκε, ὧν Μαιῶτις ἡ λίμνη ˘χεται·*
> *ὡς δ᾽ Ἔφορος ἱστόρηκε, Σαυροματῶν ἔθνος.*

Ex his versibus eum, qvem supra dixi, delendum esse ipsa verba illa: *ὧν Μαιῶτις ἡ λίμνη ˘χεται,* satis demonstrant; jam enim haec a Scymno dicta sunt, supra vs. 871 sqq. (Fragm. vs. 128 sqq.). Praeterea, ut hoc obiter moneam, verba *γένος* et *ἔθνος* invicem sunt mutanda et transponenda. — Vs. 890 (Fragm. v. 148) vulgo legitur: *Τὸ δὲ στόμα ἐκπλέοντι* (codex *ἐκπλέοντα*) *Κιμμερὶς πόλις,* || *ἀπὸ Κιμμερίων μὲν βαρβάρων κεκλημένη,* || *κτίσις δὲ τυράννων οὖσα τῶν ἐν Βοσπόρῳ.* Qvem eqvidem locum Scymno non tribuerim, qvamqvam hic geographus plerumqve conditores urbium memorat eaqve in re lubentissime versatur. Sed hanc ipsam ob caussam nihil mutaui, et sola verba illa priora: *τὸ δὲ στόμα ἐκπλέοντι* delevi, qvoniam nullo

modo haec a Scymno scribi potuisse mihi persvasum est. Non enim in ipsis freti angustiis nec extra fretum sita erat Cimmeris urbs, sed ad paludem Maeotidem, qvanqvam haud ita longe remota a freti initio. Ipsi adeo Anonymo illud *ἐκπλέοντι* minime convenit neqve ei *εἰςπλέοντι* scribendum fuisse dubitatio est. — Vs. 897—902 (Fragm. 156—161). Haec verba, ut reliqva ex Anonymo §. 2, p. 2 Huds., pag. 207 Gail. desumta, fere omnes interpretes Scymno tribuerunt; attamen ea Anonymi potius esse putaverim, qvi ea ex alio scriptore, ut Menippo, hausit. Scymnus enim in rebus minoris momenti enumerandis minime versatur, vix graviora qvaeqve diligentius enarrans. Qvare crucis signa his verbis apposui. — Versum 902 (Fragm. 161) in omnibus editionibus excipit versus fragmentum, cui lacunae signa praefixa sunt, hoc modo: .... *οἱ Μοσύνοι λεγόμενοι* (ita enim rectissime Letronnius pro vulgato: *οἱ λεγ. Μοσσυνοικοι*). Plura autem deesse qvam partem versus dimidiam nemo negabit, qvamobrem huic et proxime praecedenti versui lacunae signa interposui, ita ut primo vultu plura deesse appareret. — Vs. 919 (Fragm. 177) Gailius cum prioribus interpretibus edidit: *᾿Απὸ Κοτυώρου ἕως τοῦ πλησίον Πολεμονίου ‖ πρώην Τιβαρηνοὶ ᾤκουν, ἔθνος ὁμοχώριον, κ. τ. λ.*, qvae Letronnius sic emendavit: *᾿Απὸ Κοτυώρου δ᾿ ἐς τὸ πέλας Πολεμόνιον ‖ ᾤκουν Τιβαρηνοὶ πρῶτον, ἔθνος ὁμοχώριον, κ. τ. λ.* At qvid opus emendationibus in verbis, qvae Scymni non esse omnes, qvi oculis suis ipsi Anonymi verba diligentius considerant, confestim intelligunt! Sunt enim verba Anonymi ipsius (§. 18, pag. 12 Huds., pag. 158 Gail.: *᾿Απὸ δὲ Κοτυώρου ἕως πλησίον Πολεμώνιον πρῶτον Τιβαρηνοὶ ᾤκουν, ἔθνος ὁμοχώριον,* ut est in codice et editionibus ante Gailium, qvi pauca mutavit), qvi hac ratione regiones, qvas Scymnus huic vel illi genti attribuerat, clarius significaturus est, qvod ipsum etiam dicendi ratio: *ἀπὸ* — — *ἕως*, qva ille saepius, Scymnus nullibi utitur, testatur. Praeterea hoc testatur Polemoni urbis mentio, qvam nullus sana mente praeditus Scymno tribuere potest, qvum haec urbs in regione Sidena, fortasse in viciniis aut in Sida castello ipso (cfr. Strab. XII, 3, 16, pag. 548 Cas.), post Scymni demum tempora a Polemone rege exstructa sit, cfr. Mannerti geogr. vol. VI, p. II, pag. 388 et 489 et Cramerum in geographia Asiae Minoris vol. I, pag. 272 sq., ubi haec: „Ten stadia further (Phadisana) bring us to Polemonium, which evidently derives its name from Polemo, the favourite of Antony and Augustus, and king of that portion of Pontus named Polemoniacus

from him. Polemonium is not named by Strabo, and therefore was probably founded after his time; but it is noticed by Ptolemy; and in the Table Itinerary it is marked as a place of conseqvence.“ Qvare deletis reliqvis verbis solum *Κοτύωρον* in Graecis retinui, qvoniam hujus urbis mentionem fecisse Scymnum verisimile est. Qvae tamen nominis hujus scriptura, *Κοτύωρα*, ut Diodorus, Xenophon et Arrianus, an *Κοτύωρον*, ut reliqui (cfr. Groskurd. ad Strab. T. II, p. 473), in Scymno praeferenda sit, valde dubium est. — In lacuna, qvam post versum 922 habemus, Chalybum, Thermodontis fluvii, Themiscyrae urbis et Amazonum mentio haud dubie facta erat a Scymno, prisci temporis historiarum valde studioso; cfr. Anonym. Peripl. §. 16 et 17, pag. 11 Huds., pag. 156 Gail. — Post versum 945 (Fragm. 203) lacunae signa ponenda curavi; qvod, ut vel ex Anonymi verbis (Peripl. §. 14, pag. 9 Huds., pag. 153 Gail.,): „*Ἅλυς ποταμὸς — μεταξὺ Σύρων* (qvorum Scymnus supra [vs. 923 sive Fragm. vs. 181] mentionem fecerat) *τε καὶ Παφλαγόνων φερόμενος εἰς τὸν Πόντον ἔξεισιν*“ apparet, Scymnus nullo modo Halyn fluvium silentio praeterire potuit. Similiter autem post versum 958 (Fragm. 215) lacunam indicavi, in qvam ea recipienda censeo, qvae de Carambide promontorio narrat Anonymus, qvorum qvaedam Menippus qvidem habet (in Marcianea epitome, pag. 71 ex. Huds., pag. 127 Mill.) et qvae omnia fortasse aliqvis Menippo vindicet; nam integrum Menippi locum hoc tempore non habemus. At sunt in illis Anonymi verbis qvaedam, qvae qvominus ea Menippo vindicemus repugnant aut certe dissvadent, imprimis vox *νυχθήμερον*, qva Menippus certis mensuris itinera indicans nullo modo usus esse videtur. Verba autem Anonymi sunt haec: „*Κατ' ἀντικρὺς δὲ Καράμβεως ἐν τῇ Εὐρώπῃ κεῖται μέγιστον ἀκρωτήριον, ἀπότομον· εἰς θάλασσαν ὑψηλὸν ὄρος, τὸ λεγόμενον Κριοῦ μέτωπον, ἀπέχον ἐκ Καράμβεως πλοῦν νυχθήμερον.*“ Qvae hunc fere in modum numeris suis adstringas:

Κατ' ἀντικρὺς Καράμβεως δ' ἐν Εὐρώπῃ
κεῖται μέγιστον εἰς θάλατταν μέτωπον
Κριοῦ καλούμενον ὄρος κ'-ἀπότομον,
ἀπέχον Καράμβεως δὲ πλοῦν νυχθήμερον.

Jam his peractis redeo ad singula qvae pauca etiam restant emendanda. Versu enim 836 (Fragm. 60) *Βορυσθενίς* pro vulgato *Βορυσθένης* scripsi, qvum illa forma sola esset usitata et vera. In proximis autem verbis: *Ταύτην τὴν πόλιν Μιλήσιοι ‖ κτίζουσι* uncos

verbis τὴν πόλιν additos delevi, qvum eas voces veras et Scymni ipsius esse Anonymumqve pro consilio suo praeteriisse mihi persuasum esset. Haud ita multo post vs. 846 (Fragm. 70) et τετταράκοντα pro Letronni aliorumqve τεσσαράκοντα ex Scymni usu et δὲ τοὺς ἄνω pro δὴ τοὺς ἄνω (infra vs. 972, fragm. 228, prorsus similiter) scripsi, qvum δή, cujus origo facilis explicatu, nullo modo hic poni posset.

Versu 880 (Letr. 884, Fragm. 138) ἐπέχοντα, verbum ab interpretibus additum, veram Scymni scripturam censeo; qvare uncos etiam a Letronnio additos delevi.

Vs. 893 (Letr. 898, Fragm. 152) in locum vocis Ἑρμώνασσα substitui Ἑρμώνεια, Stephani Byzantini auctoritatem praeferens Anonymi. Ille enim s. v. Ἑρμώνασσα haec: ταύτην ὁ Σκύμνος καὶ Ἑρμώνειαν καλεῖ.

Vs. 923 (Letr. 926, Fragm. 181) rectissime Letronnius versum lacerum additis verbis: Ἔστι δὲ πόλις — ἔν τε τῇ integrum reddidit, qvare signis a Letronnio adjectis non opus. Prorsus eodem modo infra vs. 974 (Fragm. 230) verba εἶτ' ἔστιν a Letronnio addita vera censeo.

Vs. 941 (Letr. 944, Fragm. 199) et Μακᾶρες (i. e. Cares, qvod Gailium fugisse videtur) pro Letronni et reliqvorum Μάκαρες et Μαριανδυνοί (qvae forma sola est vera) pro Μαριανδηνοί scripsi.

Vs. 950 (Letr. 852, Fragm. 207) in codice, teste Hudsono, erat ἐξ Ἀμαζόνων, qvod Holstenius (in Scymnianis) in ἐπ' Ἀμαζόνων mutavit, cujus auctoritatem Hudsonus, Alexandrides, Gailius et Letronnius seqvuti sunt. Interpretatur autem hunc locum Holstenius: „qvotqvot huc Amazonas bello petentes (Graeci) venerant;" — Gailius: „deinde vero, ut ajunt, Graecorum qvotqvot in Amazonas debellandas transierunt;" — Letronnius deniqve: „deinde vero, ut ajunt, Graecorum qvotqvot ad Amazones transierunt." Sed hanc Letronni interpretationem probare non possum; nam sensum praebet, qvem vix qvo defendas habes et multo meliorem horum verborum explicationem Holstenianam judico. Cum ea ipsa qvum ἐπ' Ἀμαζόνων bene conjungi non posset, levi mutatione qvod necesse erat in Graecis verbis scripsi, ἐπ' Ἀμαζόνας. Rem ipsam scholiasta Apolloni Rhodii (II, 955) clarius docet.

Vs. 955 (Letr. 956, Fragm. 212) in codice et omnibus editionibus tum Anonymi tum Scymni Chii legitur: μετὰ Κιμμερίους Κῶος πάλιν δὲ Κριτίνης, qvae interpretes, positis post voces Κῶος et Κριτίνης commatis, ita explicuerunt, ut unum virum in duos mutarent et

discerperent, Coum inqvam et Critinem. Sed, qvamqvam alii qvoqve scriptores ejus rei mentionem faciunt, nullus tamen eorum et Coum et Critinem colonos Sinopes fuisse tradit, et omnino de Critine silent. Qvis igitur credat, Scymnum secus ac alios Coum et Critinem et praeterea Critinem pro Critia commemorasse! Longe melius enim haec Scymni verba ita explicari possunt, ut *Κριτίνης* viri nomen sit, *Κῶος* autem populum sive terram indicet, qva ille oriundus erat. Praeterea, qvod breviter jam indicavi, non *Κριτίνην*, sed *Κριτίαν* vocant hunc Coum et Stephanus Byzantinus s. v. *Σινώπη* et Eustathius ad Dionys. Perieg. vs. 722, qvorum certe hic, si revera nominis diversitatem qvandam cognitam habuisset, eam silentio vix praeteriisset. Qvare jure *Κριτίας* scripsisse mihi videor et assentientem habeo Car. O. Müllerum in Aegineticis, pag. 84. Sensus igitur horum Scymni verborum est: Post Cimmerios iterum Critias Cous et (nam versu 956, Fragm. 213 *φυγάδες τε τῶν Μιλησίων* pro *δὲ τῶν Μ.* scribendum est) Milesiorum qvicunqve fugam capessiverunt (nollem enim de exsulibus cogitari, qvanqvam fieri potuit, ut exsules essent, qvi Sinopem migrarunt) Sinopem obtinuerunt, qvo tempore Cimmerii Asiam vastabant.

Haec sunt fere omnia, in qvibus a judicio et ratione Letronni, viri doctissimi, discessi; ea enim, qvae in rebus exiguis versantur, hoc loco praeterire volui. De duobus autem locis, anteqvam orationem finirem, paucis conjecturam facere libuit, qvippe vs. 94, ubi aut cum Krebsio in Lectt. Diodor. pag. 302: *εἰ μηθὲν* (quae est Letronni emendatio) *ἕτερον, φασίν, ποῦ ποτ᾽* (vulgo *οὗ ποτ᾽*) *ἔστι γῆς*, aut: *εἰ μηθὲν ἕτερον, φάναι, οὗ ποτ᾽ ἔστι γῆς* scriberem; — et vs. 283 (de codice Parisino Millerus tacet), ubi: *θέσιν μὲν ἔχουσα* pro vulgato: *θέσιν τ᾽ ἔχουσα* reciperem. Sed satis de Scymno, cujus mox periegesin emendatiorem geographiae antiqvae studiosis tradam, si qvae suscepi fausto omine aggressus fuero; interim viros doctos etiam atqve etiam rogo, ut severum judicium ferant, erranti comiter viam monstrent meisqve ut faciant studiis faveant.